

6 potuisse? quomodo autem non obstitisse aut ab tergo
secutum fratrem, ut, si prohibere quo minus in unum coirent
et duces et exercitus hostium non posset, ipse certe cum
7 fratre coniungeret copias? His anxius curis id modo esse
salutare in praesens credebat, cedere inde quantum posset;
exinde una nocte ignaris hostibus et ob id quietis aliquantum
8 emensus est iter. Luce ut senserunt profectos, hostes prae-
missis Numidis quam poterant maxime citato agmine sequi
coeperunt. Ante noctem adsecuti Numidae, nunc ab tergo,
9 nunc in latera incursantes, consistere coegerunt ac tutari
agmen; quantum possent tamen tuto ut simul pugnarent
procederentque, Scipio hortabatur, priusquam pedestres
36 copiae adsequerentur. Ceterum nunc agendo, nunc susti-
nendo agmen cum aliquamdiu haud multum procederetur
2 et nox iam instaret, reuocat e proelio suos Scipio et collectos
in tumulum quendam non quidem satis tutum, praesertim
agmini perculso, editiorem tamen quam cetera circa erant,
3 subducit. Ibi primo impedimentis et equitatu in medium
receptis circumdati pedites haud difficulter impetus incursan-
4 tium Numidarum arcebant; dein, postquam toto agmine
tres imperatores cum tribus iustis exercitibus aderant appare-
batque, parum armis ad tuendum locum sine munimento
5 ualituros esse, circumspectare atque agitare dux coepit si quo
modo posset uallum circummicere. Sed erat adeo nudus